



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1849

XIV. Herzog Rudolph von Sachsen bestätigt den Calandsaltar zu Brietzen,
am 25. Jan. 1337.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54022)

et inconvulsa iussimus et dedimus presentes litteras nostre civitatis cum sigillo et nostrarum omnium prescriptorum sub testimonio communiri et firmari. Actum et datum anno domini M. CCCXXXV^{to} in die lucie virginis et martiris gloriose: preterea unusquisque factorum debet in sua domo scindere et facere et confuere et operare in quantum voluerit, prout commendabile fore videbitur et condignum.

XIV. Herzog Rudolph von Sachsen bestätigt den Calandsaltar zu Brieggen, am 25. Jan. 1337.

In nomine Domini amen. Rudolfus Dei gratia dux Saxonie Angarie Westphalie, Comes in Bren Sacrique Imperii Archimarschalcus, — ob reverentiam Dei omnipotentis genitricisque sue Beate Marie Virginis et omnium sanctorum in nostre anime et progenitorum nostrarum omnium remedium salutare, maxime ut divinus cultus per amplius augeatur, appropriavimus et in presentibus appropriamus altari dedicato in honorem Beate Marie Virginis et Beati Johannis evangeliste in ecclesia parochiali Beate Virginis in Bryzzen fundato per fratres Calendarum ibidem bona infra scripta. Videlicet in villa Schonefelt quatuordecim modios filiginis, sex modios ordei et duodecim modios avene parve mensure cum sex follidis denariorum et quatuor denariis, Item pullos fumigales dictos Rouchhunre ac decimam carniū ibidem super duobus mansis, In villa Nyendorf unum chorum filiginis, sex modios avene cum sex follidis denariorum, item decimam carniū cum pullis fumigalibus ibidem super duobus mansis. In villa Wytbryzzen triginta duos modios filiginis, cum octo follidis denariorum, item decimam carniū et pullos fumigales ibidem super quatuor mansis, Item super mansis dictis Morkewitzer Hufen sitis in campis civitatis Belitz decem et octo modios ordei cum duobis follidis denariorum, Item in thelonio civitatis Bryzzen duo talenta denariorum, duobus follidis et sex denariis minus. Item super stupa beate virginis ibidem duo talenta denariorum, Item super mansis dictis zernowesche hufen viginti duos modios cum modio avene sitis in campis civitatis ejusdem, et in villa Werbek sita prope civitatem Bryzzen predictam decem modios avene perpetuis temporibus duratura. Precariam vero et servicia ac alia nostra jura nobis, heredibus ac successoribus nostris in premis bonis reservantes et precipue jus patronatus predicti altaris, quod nos et heredes seu successores nostri cum vacaverit uni de predictis fratribus calendarum conferre debemus. Testes hujus rei sunt Rudolfus et Otto filii nostri, Comes Albertus de Anhalt gener noster, Loferus de Refelt, Hartmannus Mager, Martinus Wolf, milites, Johannes prepositus in kmerik tunc temporis nostre curie prothonotarius, Hermannus Jertitz, Otto de Bufow, noster notarius, atque plures alii fide digni. Vt autem hujusmodi nostra appropriatio per nos rite facta inconvulsa perpetue perseveret, presentes litteras nostras desuper scribi fecimus et appensione sigilli nostri firmiter roborari. Datum Wittenbergk anno Domini Millesimo Tricentesimo tricesimo septimo, die Conversionis Beati Pauli Apostoli.